

verò seductionis, sive, ut aiunt, *subnationis*; impedimentum esse dirimens; sed longè probabilius est opposita quæ apud nos viget sententia.

1^o. Quia procul dubio animum habuit Sancta Synodus id avertere, quod in raptu deterius est, ac sanctitati Matrimonii magis injuriosum: atqui talis est puellæ seductio quæ adjunctum habet raptum; plerumque enim multò facilius resistitur apertæ violentiæ quæ animum exasperat, nedùm conciliet, quàm infidiosis blanditiis, promissis, voluptatis illecebris, muneribus aut aliis artibus quæ sensum junioris puellæ virtutem labefaciunt.

2^o. Quia Patres Tridentinos non latebat, alium esse raptum qui vi apertâ, alium qui seductione fieret: atqui tamen inter raptorem & raptam nullum posse consistere Matrimonium, absolutè & sine ulla distinctione pronuntiant; quinimò nulla est distinguendi causa, quia ipsa seductio non minus parit malum, quàm violentia, & pariter familiarum pacem conturbat, ipsisque probum & dedecus importat.

3^o. Ideò Concilium Tridentinum inter raptorem & raptam impedimentum constituit, quia ista sub raptoris potestate est, nec proindè satis sui compos, nec in loco tuto & libero: atqui in seductionis non secus ac violentiæ raptu, mulier est in raptoris potestate, nec proindè satis sui compos, nec in loco tuto & libero juxta Concilium Tridentinum; ergo non minus seductionis, quàm violentiæ raptus, tanquam impedimentum dirimens juxta Patrum Tridentinorum mentem habendus est.

4^o. Quia Edictum Blesense ab Henrico III sub ipsis Cleri Gallicani oculis, & eodem conspirante, concinnatum, Synodi Tridentinæ mentem assequi debuit: atqui in hujus Edicti articulo 42 de raptu seductionis ita statuitur: *Voulons que ceux qui se trouvent avoir suborné fils ou filles mineures de vingt-cinq ans, sous prétexte de mariage, ou*

autre couleur, sans le gré & le consentement exprès des pères, mères, ou des tuteurs, soient punis de mort. (*Guénois, Conférences des Ordonnances, liv. 5. tit. 2. sect. 6 & 7. tom. I. pag. 705 & 706.*) Articulus ille à Ludovico XIII confirmatus est Edicto an. 1639, (*art. 2.*) additque ista verba Princeps Christianissimus: *Conformément aux saints décrets & constitutions canoniques, Concilii nempe Tridentini & aliorum.* Quapropter à supremis Judicibus irrita & nulla declarantur Matrimonia, eo ipso quòd seductionis fraude facta esse constat.

Sed, inquiunt adversarii, hæc sola fuit Concilii mens, ut conjugiorum libertati consuleretur: fiat verò tota Matrimonii libertas, cum mulier volens & consentiens adducitur.

Resp. junioris puellæ voluntatem, dolo & illecebris quas nemo potest auferre deceptam, non satis esse sui compotem, ut eam censetur habere libertatem, quæ ad Matrimonium requiritur: atqui ubi intervenit raptus seductionis, voluntas puellæ decepta est ac veluti incantata, & quandiu seductoris à quo rapta fuit potestati subjacet, nullus est qui dolos, illecebras, artes quibus deluditur, possit depellere; ergo merito censetur eam omnem libertatem non retinere, quæ ad contrahendum Matrimonium necessaria est.

Quæres 6^o. quanam conditiones ad raptum seductionis requirantur.

Resp. oportere 1^o. ut raptor puellam verbis, precibus, blanditiis, promissionibus, circumvennerit; 2^o. ut è loco tuto abducta in raptoris potestatem transierit; 3^o. ut res, insciis & invitis parentibus, peracta fuerit: si enim & ipsi consenserint, non erit raptui locus; 4^o. ut puellæ & filii sint *minores*, & annum 25 non excefferint: qui enim *maiores* sunt, nec parentum dominio, nec seductioni censentur obnoxii.

CAPUT III.

De dispensatione citra Matrimonii impedimenta.

DISPENSATIONIS nomine intelligimus relaxationem legis prohibentis, ne Matrimonium hoc vel illo modo contrahatur, ab eo concessam qui potestatem habet: sic, v. g. Petrus & Catharina in quarto gradu consanguinei, à conjugio simul ineundo jure excluduntur; attamen si dispensationem obtinuerint, legitime Matrimonio junguntur.

Quæres 1^o. utrum omnia quæ recensuimus impedimenta, possint sine ullo discrimine ab Ecclesia relaxari.

Resp. non posse: cum enim Ecclesia in jus naturale & divinum nihil potestatis habeat, penes eam non est ab iis impedimentis eximere, quæ jure divino vel naturali constituta sunt. Sic quia impotentia naturale est nuptiarum impedimentum, non potest Ecclesia homini qui hoc impedimento laborat, nubendi facultatem concedere. Pariter quia polygamia *simultanea* jure divino prohibita est, nullâ dispensatione licitam hæc facere potest Ecclesia; superest igitur ut ab illis tantum impedimentis solvere possit, quæ ipsa constituit: qui enim legem tulit, illam potest vel penitus abrogare, si id expedire judicaverit, vel in quarundam personarum gratiam justis de causis suspendere.

Quæres 2^o. utrum quacumque de causa possit hæc dispensatio concedi.

Resp. licitæ dispensationis duas tantum esse cau-

fas, necessitatem nimirum, vel insignem quamdam utilitatem. *Ubi necessitas urget*, ait S. Bernardus, *excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* (Lib. 3. de consideratione, cap. 4. n. 18.)

Dispensationis legitimæ causæ vulgò censentur 1^o. bonum pacis vel restituendæ, vel confirmandæ, five inter Regna, five etiam priyatas inter familias gravibus odiis à se invicem disjunctas, vel propè diem disjungendas, nisi huic malo per Matrimonium inter consanguineos ineundum occurratur; 2^o. angustia loci ex qua fit ut incolæ penè omnes affinitate aut consanguinitate conjuncti sint; 3^o. indotatæ puellæ conditio quæ non sine incontinentiæ, vel egestatis periculo futura est, nisi consanguineo eam sine dote accipienti nupserit; 4^o. scandalum grave aut peccatum præcavendum; 5^o. bonorum in eadem familia conservatio, quæ ad aliam transferri non solent sine magnis litibus & gravi familiæ totius spendio; 6^o. meritorum erga Ecclesiam excellentia quam remunerari decet. In his aut similibus causis legitime conceditur dispensatio, quâ liceat intra prohibitos affinitatis vel consanguinitatis gradus nubere.

Quæres 3^o. cujus sit aliquo Matrimonii impedimento laborantibus dispensationem concedere.

Resp. 1^o. ubi agitur de impedimentis prohibentibus, unumquemque in sua diœcesi Episcopum dispensare, si tamen excipias castitatis perpetuæ & Religionis vota. Hæc enim duo Summus Pontifex ita sibi reservat, ut ne quidem in jubilæis universalibus, dispensandi licentiam in ea re alicui faciat.

Resp. 2^o. singulos Episcopos in sua inauguratione facultatem à Christo accepisse dispensationis pro quolibet impedimento, etiam dirimente in tuis diœcesibus concedendæ, nullumque esse Ca-

nonem qui potestatem hanc Summo Pontifici, exclusis Episcopis, asserat; sed usus jamdudum invaluit, ut pro obtinendis hujusmodi gratiis, ad Romanum Pontificem plerumque confugiatur, suo juri quasi renuntiantibus Episcopis, ut rariores essent dispensationes; quemadmodum in quorundam scelerum reservatione factum esse diximus in Tractatu de Pœnitentia. Qua de re legi possunt, Thomassinus, (tom. 1. *disciplinæ Ecclesiasticæ*), & Collationes Parisienses. (*Tom. 3. cap. 5.*)

Resp. 3^o. quosdam Episcopos ex speciali locorum consuetudine, vel privilegio apostolico dispensare, alios in quarto, alios in tertio cognitionis gradu.

Resp. 4^o. in usu esse ut Episcopi, etiam absque speciali privilegio dispensent, 1^o. quando Matrimonium bonâ fide contractum fuit cum occulto impedimento, si nec facilis sit ad Sedem Apostolicam aditus, propter conjugum paupertatem, locorum distantiam, aliasve causas similes, nec possint conjuges citra scandalum separari, vel urgeat Dei offendendi periculum; 2^o. ubi, omnibus ad Matrimonium contrahendum præparatis, & assignatâ ad nuptias die admodum proximâ, puella ex confessione detegit se impedimento dirimente irretitam esse, & nulla præter Episcopi dispensationem patet viâ quâ gravis scandalî, suspitionis & infamiæ periculum effugere possit: nisi enim tum cessaret reservatio quæ ad summos Pontifices ex sola consuetudine pertinet, jam in perniciem animarum, non verò utilitatem verteretur.



CAPUT IV.

De modo quo sese gerere debent Confessarii vel Parochi cum iis quos impedimento dirimente constringi animadvertunt.

QUÆRES 1^o. quid agere debeat Parochus, cum ei denuntiatur aliquod inter sponso impedimentum.

Resp. Quid agere tunc debeat sic monet S. Carolus Borromæus: *Si Parochi qui Matrimonium promulgavit, aliquod denuntiatur impedimentum, quamobrem inter sponso illud contrahi non posse dicatur; is neque ad illius Matrimonii celebrationem, neque ad aliam progrediatur denuntiationem etiamsi id impedimenti quod assertur vel falsum vel malitiosum sibi videatur, vel nullius momenti; sed rem ad Archiepiscopum deferat: si verò longius distat, Vicarium foraneum de impedimento quod proponitur, certiore faciat, neque de eo quidquam antè statuat, quàm de eo quid faciendum sit, responsum acceperit.* (*Synod. Mediol. 3. in 2. part. aëtorum Eccles. Mediol.*) Ad feliciorum rei exitum exigere debet Parochus, ut impedimenti declaratio, & causæ quibus nititur, sibi in scripto tradantur, & à duobus testibus, ab ipsoque revelante, si fieri potest, subscribatur; debet & tacite totius rei veritatem inquirere. Ita Cardinalis le Camus suis in statutis. (*Tit. 6. art. 9. Sect. 4. n. 7.*)

Si fama popularis nupturos alicujus impedimenti accuset, hæc sufficit ad suspendendam Matrimonii celebrationem. Ubi Parochus, rebus maturè expensis, rumores illos, ut sæpè fit, inanes esse comperit, & sponsi factum cum juramento inficiantur, tunc poterit ipsis nuptialem bene-

dictionem impertire ; ad Episcopum verò eos remittet, si quid solidi in iis rumoribus deprehendat. (*Ita Collator Andegavensis, tom. I. de Matrim. pag. 150. & seq.*)

Ubi Parochus solus, etiam extra confessionem, impedimentum cognovit, quod probare nequeat, quodque negent sponsi, iis non potest benedictionem nuptialem recusare, postquam eos à Matrimonio contrahendo deterrere conatus fuerit : testis simul & iudex esset, quod minimè decet. Eo in casu ad Episcopum prudenter confugiet, ad quem maximè pertinet de huiusmodi rebus iudicium.

Quæres 2^o. quid agendum erit, si ex pœnitentis confessione detegatur impedimentum aliquod dirimens & secretum, quod alteri sponso prorsus incognitum sit.

Resp. Graviter admonendus erit pœnitens ne ultra progrediatur. Si propositum Matrimonium differri nequeat sine vel scandalo, vel maximo partium damno, à pœnitente exigere debet Confessarius, ut dispensationem ab Episcopo postulet, utque Matrimonium non contrahat, nisi prius eam obtinuerit. Si impedimentum, quamvis secretum, alteri sponso innotuerit, prudenter curabit Confessarius ut inter eos conveniat de Matrimonii celebratione differendâ, donec à Romano Pontifice concessa fuerit dispensatio. Huic autem consilio si obtemperare detrectaverint propter scandalum, vel gravis alicujus damni metum, debent saltem ad Episcopum confugere, ut ante nuptias ab eo dispensationem obtineant. Ubi verò publicum est impedimentum, Matrimonium celebrare non licet, nisi Româ venerit dispensatio, si fuerit Papæ reservata. Hanc expectare debent, quamvis omnia essent ad celebrandas nuptias parata.

Quæres 3^o. si tardius sponsi ad pœnitentiæ tri-

bunal accesserint, ita ut tempus non suppetat ad Episcopum confugiendi, ante diem contrahendo Matrimonio præfinitam, & detegatur impedimentum aliquod dirimens, si, v. g. puella in confessione declararet se crimen cum sponsi sui fratre commississe, dum celebrandis nuptiis parata sunt omnia ; quid in istis rerum angustiis agendum erit ?

Resp. 1^o. Ut huiusmodi incommodis occurratur, debent Parochi eos qui nuptias meditantur vehementer hortari, ut maturè ad pœnitentiæ tribunal accedant. Si enim ad ipsum Matrimonii contrahendi tempus confessionem remittant, contingere poterit ut quædam impedimenta deprehendantur, quibus difficillimè, nec sine gravibus aliquando querelis, remedium afferri solet. Quam cautionem præsertim adhibere debent Parochi, qui longius ab urbe episcopali distant.

Resp. 2^o. Maximè cavendum est ne aliqua suboriatur occulti criminis suspicio. Cui malo ut occurratur, duplex remedium proponere solent Theologi : 1^o. puellæ suadere poterit Confessarius, ut castitatis votum emittat pro certo tempore, quale requiritur ad obtinendam dispensationem. Deinde suis parentibus dicit à se castitatis votum Deo factum, nec posse modò nubere, nisi prius circa illud dispensationem obtinuerit. Eo prætextu dabitur tempus dispensationem circa impedimentum dirimens impetrandi, citra scandalum & sine ulla personæ injuria, cujus dilatum fuerit Matrimonium. 2^o. Si prius remedium vel personis vel circumstantiis non conveniat, istud alterum fortè utilius adhibebitur : scilicet puellæ consulere poterit Confessarius, ut Monasterium aliquod ingrediatur sub obreptu suam probandi vocationem, aut maturius de suo Matrimonio deliberandi : interim urgebitur dispensationis concessio. Ita Collatores Andegavensis & Lucionensis, D. le Camus Episcopus Gratianop. in Theologia morali, aliisque plurimi.

Resp. 3°. Si neutrum ex iis consiliis, nec aliud quod suggerere posset prudentia, sequi sponsa voluerit, sed ulterius procedere, tunc ipsi gravibus verbis exponet Confessarius, quantum sit crimen Matrimonium contrahere cum impedimento dirimente, quot difficultates & pericula, quot animi sollicitudines sibi paret. Denique si eam à proposito Matrimonio detertere nequeat, illiusque celebrationem sponsa contumaciter urgeat, non poterit Parochus suum ipsi ministerium denegare, tenebiturque eam Matrimonio jungere, ne in revelata Confessionis suspicionem incurrat.

Quæres 4°. quando, post celebratum Matrimonium, detegitur illud contractum fuisse cum impedimento dirimente quod publicum sit, quomodo se geret Parochus?

Resp. Conjugibus præcipiendum est ut sine ulla cunctatione sese à thoro & habitatione segreget, sicque à se invicem disjuncti vivant, donec dispensationem obtinuerint; quâ impetratâ, necesse est ut palàm in Ecclesia coram Parocho & testibus consensum renovent. Aliud enim remedium afferri non potest scandalo quod excitârunt hujusmodi nuptiæ.

Quæres 5°. Si Parochus ex conjugum confessione detegat inter illos esse impedimentum dirimens quod prorsus occultum sit, ab iisque ignoratum, tenebiturne illos conjuges admonere, qui se legitime conjunctos putant, quamvis ipsorum Matrimonium sit irritum & invalidum?

Resp. 1°. Aliquando maximum est periculum ne ex impedimenti declaratione gravia nascantur incommoda, ut infamia, odium, perpetuum divorcium: tunc juxta D. de Sainte-Beuve, aliosque plurimos, satius est impedimentum conjugibus reticere, eos in ipsorum bonâ fide relinquere, & omnia divina misericordiæ permittere. Credendi enim locus est hujusmodi conjuges, propter suam

Bonam fidem, esse à Deo veniam consecuturos.

Erga eos autem aliter agendum erit, si impedimentum dirimens non ecclesiastici tantum, sed juris sit naturalis; vel quando affectata est ipsorum ignorantia; cum enim tunc non sit invincibilis, eos à peccato non excusat. In duplici illo casu erga conjuges sese gerere debet Parochus, quasi impedimentum illud reipsâ cognovissent: illud enim nosse potuissent, vel suum Parochum, vel Confessarium, vel alios homines peritos consulendo.

Resp. 2°. Quando ex impedimenti declaratione nihil prævidetur periculi, quia conjuges vitam agunt verè christianam, suis Pastoribus omnino subjiciuntur, & sibi invicem sunt conjunctissimi; si moraliter certus sit Confessarius, fore ut maritus & uxor novo consensu Matrimonium suum efficiant ratum & validum, & tanquam frater ac soror vivant, donec impetrata fuerit dispensatio: tunc eos debet de impedimento admonere, ut ratas faciat ipsorum nuptias, cum hujus rei licentiam ab Episcopo acceperit, quæ sine mora postulanda est. Interim nulla esse debet inter conjuges thori societas: ex quo enim irritum esse ipsorum Matrimonium certiores facti sunt, jam cessat bona fides, nec possunt tanquam maritus & uxor simul vivere. Dispensationem igitur obtineant necesse est, ut tanquam veri conjuges sese gerere licite possint.

Quæres 6°. ubi impedimentum ita est occultum, ut ab eo tantum conjuge cognoscatur qui ipsi locum dedit, quid faciet Confessarius?

Resp. Necesse est ut conjux cujus delictum impedimento locum dedit, sui Confessarii interventu ab Episcopo facultatem obtineat ipsum absolvendi, impedimentumque tollendi, ut ratum fiat Matrimonium. Si verò dispensationem concedere nequeat Episcopus, ad Romam confugien-

dum erit. Debitum conjugale nec postulare, nec reddere potest conjux reus, donec impetrata fuerit dispensatio, & nuptiæ convaluerint. Opus est præterea ut renovetur mutuus conjugum consensus. Cum enim uterque ad contrahendum esset inhabilis, utriusque consensus pariter inanis fuit. Aliundè non efficit dispensatio ut Matrimonium antea irritum, deinde validum sit; sed personas idoneas tantum facit ad illud contrahendum. Quamobrem hujusmodi dispensationum formulæ apponi solet hæc clausula: *De novo præstito consensu.*

Quæres 7^o. quomodo eliciendus sit novus ille consensus.

Resp. Quidam Theologi putant non opus esse, ut conjux impedimenti conscius, alteri manifestet nullum esse ipsorum Matrimonium, ad obtinendum ab eo novum consensus. *Sufficit*, inquit, *v. g. ut vir dissimulanter petat ab uxore, ut pro sua consolatione ipsum habeat in conjugem, & ipse similiter dicat: Ego quoque volo te in uxorem habere.* Periculum enim est, aiunt illi Theologi, ne alter conjux, cognito Matrimonii vitio, novum denegat consensus, eamque occasionem arripiat sese in libertatem restituendi.

Alii verò Theologi existimant non opus quidem esse ut reus conjux alteri impedimentum declaret, quo irritum factum est Matrimonium: sed contendunt ab eo commonendum esse alterum conjugem, ipsius consensus prorsus inanem fuisse, nisi prævideatur ex ea declaratione secutura esse incommoda iis graviora, pro quibus vitandis adhibetur. Ratio est quòd alter conjux impedimenti necius, ignoret sibi liberum esse consensus dare vel denegare. Si Matrimonium nullum fuisse cognosceret, illud fortassis ratum facere nollet. Novus igitur quem præbet consensus, cum errore nitatur, novam non inducit obligationem.

Resp. 2^o. Cum gravissimis difficultatibus obnoxia sit hæc materia, ut ab iis sese feliciter expediant Confessarius, eam quæ indiget sapientiam à *Patre luminum* postulare debet, precibus jejuniis conjunctis, priusquam conjugibus de renovandi sui consensus modo quidquam suadeat, ipsorum ingenium, mores, indolem, propensiones & conditionem diligenter expendat; rem totam Episcopo, si fieri possit, detegat, antequam illum suo pœnitenti det consilium.

Tres potissimum modos proponunt Theologi; quibus in isto casu renovari possit mutuus conjugum consensus.

Primus est, quòd impedimenti conscius ignorantem generatim indicet nullum fuisse priorem consensus & novum exigat, dicendo, *v. g. Suspicio te uxorem meam non esse; idè rogo te ut propter conscientiam meam tranquillitatem, denuò pro conjugibus nos habeamus; quapropter ego quidem libentissimè iterum te accipio in uxorem, & opto ut ipsa etiam iterum velis pro marito me habere.* Ea verò si pariter suum renovet consensus, tunc ratum erit Matrimonium.

Secundus est ut conjux qui impedimento locum dedit, alterum qui illud ignorat his vocibus amice compellet: *Ego te ita diligo, ut etiam si inter nos Matrimonium non esset, nihilominus te accipere in conjugem, & reipsa nunc ita te accipio; mene pariter sic amas ut, si Matrimonio non jungeremur, denuò illud contraheres? an similiter nunc in conjugem me accipis? si respondeat alter, accipio, convalescit Matrimonium. Ignarus enim impedimenti, inquit Sylvius, non solum in Matrimonio prius contracto vult permanere, sed etiam novum inire, si primum non valuerit.*

Tertius modus est ut conjux impedimenti conscius alteri dicat, se à principio, ut par erat, non consensisse, quia ea de re non satis eruditus fuit, idèoque ex consilio Confessarii ad cons-

cientiæ securitatem oportere, ut ambo invicem consensum renovent. Quapropter ipse quidem vult libentissimè eam accipere in uxorem, & optat ut ipsa etiam iterùm velit pro marito eum habere; si verò ea tunc quoque suum consensum instauret, firmum erit Matrimonium.

Quæres 8º. si impedimentum quo irritum factum est Matrimonium hujusmodi sit, ut nulla impetrari queat dispensatio, quid agendum erit.

Resp. Si ea impedimenti natura sit, ut concedi nequeat dispensatio; si, v. g. oriatur ex consanguinitate in primo gradu, ex priori Matrimonio quod adhuc subsistit, ex solempni Religionis voto, ex sacris Ordinibus quibus alter conjugum erat constrictus: tunc absque morâ cogendi sunt ambo conjuges ad perpetuam separationem. Curare debet bonæ fidei conjux, ut ipsius Matrimonium declaratur irritum in foro diœcesis ecclesiastico (*officialité*) ubi contractum fuerat: alioqui non posset ad novas convolare nuptias. Certum est, si conjux qui irritum esse suum Matrimonium contendit, impedimentum allegaverit juris divini vel naturalis, eum esse ad probationem admittendum; nulla enim est contra utrumque jus illud præscriptio, nec circa hujusmodi impedimentum dispensationem unquam concedit Ecclesia.



DISSERTATIO VI.

De solempnitatibus Matrimonii.

UT solempne sit Matrimonium, præter Parochi & testium præsentiam, parentumque consensum, requiruntur *sponsalia*, gallicè *fiançailles*, & publicæ futuri conjugii proclamationes, quæ *banna* vulgò nuncupantur; de iis duobus ultimis superest ut disseramus.

CAPUT PRIMUM.

De sponsalibus.

SPONSALIA in Rituali Parisiensi definiuntur, *promissio mutua & deliberata futuri & aliquandò contrahendi Matrimonii, sufficientibus verbis aut signis declarata, inter personas ad contrahendum habiles & idoneas.* Sponsalia duplicis sunt generis, alia in Ecclesia coram Sacerdote, adhibitis solempnibus precum formulis, celebrantur; alia sine Sacerdote inter utrumque sponsum, voce vel scripto fiunt: priora dicuntur *ecclesiastica*, & ubicumque præcipiuntur, sine gravi peccato prætermitti nequeunt; posteriora sunt merè civilia, sive futuri Matrimonii conditiones, de quibus inter conjuges circa bona temporalia convenit, hæcque in multis Galliæ diœcesibus sufficiunt.

Quæres 1º. quæ causæ sint sponsalia Matrimonio præmittendi.